



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lilivm Inter Spinax

Sterre, Jean Chrysostome van der

Antverpiæ, 1627

Cap. XL. De Castitate Ioseph.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43032

bus modis cauere studeas, ne ipsum verbo vel facto aliquando conturbes. Infirmi-
tati ipsius misericorditer condescende; & in omnibus fer subsidium, quibus potes: scias enim certissimè, quòd nemo IOSEPH exacerba-
uit impunè, etiam in vita præsentis; præter pœnam futuram, quam (si impœnitens decesserit) sustinebit. nam & memetipsam in hac vita diutiùs cognosco torqueri, quia IOSEPH aliquoties conturbauit. Et recitauit verba Angeli, qui dixerat: Quia IOSEPH vir magnus est.

CAPVT XL.

De Castitate IOSEPH.

SED quia virtutum beati viri mentio facta est; (in quibus tota vis & summa sanctitatis consistit) vt & eadem virtutes per signa possint exteriora cognosci, dignum videtur, singularum signa virtutum (quæ oculis nostris

stris in ipso videre, & in ipso auribus audire potuimus) explicare. Et primùm quidem de castitate ipsius, à qua primùm commendatus est, videamus. Hac virtute ita à receptione vestis candidæ & immaculatæ, qua Baptisti tempore vestitus fuit, tanta perfectione, decoratus est; vt gemma virginum, flos virginitatis, lilium castitatis, titulus pudicitiae, vas electum continentiae, agnus innocentie, & virgo virginum nostri temporis meritò potuerit appellari: virgo in corde, virgo in oculis, virgo in auribus, virgo in olfactu, virgo in gustu, virgo in tactu. Quantum enim perpendere potuimus, in hac virtute nostram super modum fragilitatem excefferat; dum (quod opus trahere non conuenit in exemplum) in omni loco, etiam in diuinis (si quando opus erat) deuotarum feminarum, sicut virorum, ministerio utebatur. Scio non defuturos qui hunc articulum mordaciter, fieri minimè debuisse, nec

ea

*Eximia
eius virgi-
nitas, nullis
vquam
libidinum
facibus
ambusta.*

* Contendunt
omissum
videtur.

ea scriptis oportuisse mandari *. Sed quid agam? Quomodo cæcutientes illuminem, ut videant quid commendem? Non enim ministerium feminarum, quantumcumque sanctarum, ministrantium Sacerdoti commendo; sed oculos carnos Sacerdotis, innocentiae lacte lotos, ita repletos & absorptos à spiritu, ut non discernent mulierem à viro: vel, si discreuit, nihil per adspectum in cor purissimum humanæ fragilitatis intrasse, quidni commendem? Talis quippe in corpore Angelus erat. Commendatur B. Bernardus, quod equitans in sella aurea, coloribusque depicta, (quam mutuò se asseruit accepisse) non discreuerit, præ occupatione spiritus, in sella cuiusmodi resideret; cum tamen non esset bonum, talem sellam Monachum equitare: sed commendabile erat, ipsum à vanitate oculos auertisse. Quòd si dixero & scripsero, quòd aliquando, cum in meridie IOSEPH tertius,

O R D I N I S P R A E M O N S T. 127
tertius, castissimus, vellet lectulo reclinare corpus angelicum, non refugit in illo se strato reponere, in quo mulier sopita iacebat? Quæ cum, adhuc dormiente I O S E P H, expergisceretur à somno, virumque videret, expauit, erubuit, & aufugit. Numquid & hîc non vident illi, qui videntes non vident, & audientes non intelligunt, quem commendem? Non commendo virum in vno lecto cum muliere dormire; sed virum spirituales mulieris præsentiam non sentire. Neque enim malum esset virum cum muliere dormire, si posset illicitum nil sentire; cum in castitatis commendatione dicatur: Iuuenis cum virgine habitabit. Isaia 62.
quod utique malum non erit, quando nec spiritus aduersus carnem, nec caro aduersus spiritum concupiscet: quod etiam in nostro I O S E P H vidimus iam impletum.

CA-